

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Historia Zaringo Badensis

Schöpflin, Johann Daniel

Carolsruhae, 1765

XLIII.

[urn:nbn:de:bsz:31-295118](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-295118)

XLIII.

CHARTA DONATIONIS PRÆDII APUD ZARINGEN
A GEROLDO DE SCHERZINGEN ABBATIÆ S. PETRI
IN NIGRA SILVA FACTÆ.


ANTE ANNUM MCLII.

Ex Rotulo San - Petrino.

Notum esse Christi fidelibus tam futuris quam præsentibus cupimus Concambium, quod bonæ memoriæ Dominus Eppo Abbas unanimi fratrum suorum consilio & assensu cum Duce Conrado pro utilitate Ecclesiæ sibi commissæ patravit. Predium igitur, quod apud *Zaringen* a Geroldo de Scherzingen (a) nobis traditum possedimus. ipsi Duci donavimus, porro idem princeps cum uxore sua Domina *Clementia* & filiis suis *Conrado* & *Berhtoldo* tale allodium quale apud *Amindon* (b) visus est habere, cum omnibus ad id pertinentibus, scilicet Ecclesiam una cum curte, & quicquid inibi tam in terris quam in agris, pratis, pascuis, silvis, aquis, aquarumve decursibus, cultis & incultis dici vel nominari potest, per manum *Heinrici* nobilis viri de *Rinuelden* reciproca vicissitudine delegavit. Huic ratæ commutationi preter multitudinem Clie-

(a) Hic Geroldus anno 1115, fundavit Monasterium Monialium in *Seleden*. In antiquo autem Calendario *Selden*si, & apud *MABILL. Annal. Bened.* Tom. V. fol. 694, vocatur *Geraldus*. (b) *Emmendingen*.

tum fuorum qui illic aderant plurimi. nobiles viri intererant isti. quorum nomina in rei gestæ testimonium ascripta sunt. Henricus de Rinuelt. Vdalricus & frater ejus de Gammertingen. Eberhardus de Twiêla. Vdalricus de Belpa. & filius ejus Conradus. Adalgoz de Werrâh.



X L I V.

NOTITIA DONATIONIS IN SLATHA MONASTERIO
S. PETRI IN NIGRA SILVA FACTÆ.

ANTE ANNUM M C L I I.

Ex Rotulo San-Petrino.

Quidam homo de *Slatha*. Adelbertus dictus. III. mansos apud eundem locum fitos. Beato Petro hujus loci dedit patrono. Verum quia aliqua pars ejusdem predii censualis erat. & quinque nummos ad Ecclesiam *Steine* per singulos annos persolvebat. ideo unum agrum solidum persolventem. ad eundem locum dedit. Sicque reliquam partem prædii deinceps ab ejusdem loci subjectione redemit. Hæc autem omnia in presentia *Ducis C.* utrarumque Ecclesiarum Advocati patravit. quique hoc inviolata postmodum fore suo jure firmavit. Huic autem rei interfuerunt *Henricus de Badin*. Harimannus de Chrocingen magister censuum ad *Steine* pertinentium. cum aliis pluribus.

